



SCAFFALI ONLINE
<http://badigit.comune.bologna.it/books>

Amaseo, Pompilio
De Bononiensium scholarum exaedificatione oratio,
Bononiae : ex typographia Ioannis Rubei, in via S. Mammoli, 1563
Collocazione: 17-SC.LETT ARCHIGINNAS. F 04, 002
<http://sol.unibo.it/SebinaOpac/Opac?action=search&thNomeDocumento=UBO2886905T>

Questo libro è parte delle collezioni della Biblioteca dell'Archiginnasio.

L'ebook è distribuito con licenza Creative Commons solo per scopo personale, privato e non commerciale, condividi allo stesso modo



[4.0:http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode](http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode)

Per qualsiasi altro scopo, o per ottenere immagini a risoluzione superiore contattare: archiginnasio@comune.bologna.it

9

POMPILII AMASAEI

DE BONONIEN-

SIVM SCHOLARVM EX-

AEDIFICATIONE

ORATIO.

cf. Subalterni Reguli



BIBLIOTECA
COMUNITATIVA
DI BOLOGNA



BONONIAE,

Ex Typographia IOANNIS Rubei, in Via
S. Mammoli. M D LXIII.

P O M P I L I A M A S A E I

DE BONONIENSIVM SCHOLARVM

EX AEDIFICATIONE

ORATIO.



RODITVM est Græcorum monimen-
tis Auditores, insignem illam belli pa-
cisque artibus Carie Regiam Artemi-
siam, post Mausoli coniugis, cuius incre-
dibili amore flagrauerat, obitum, ma-
gnificentissimum ei sepulchrum extru-
xisse, quod & Mausoleum de ipsius no-
mine appellatum fuit, & inter septem illa orbis terræ admiratio-
ne dignissima opera numeratum. Id uero excimio mulier ingenio
ut longe nobilius redderet, fertur ex omni Græcia finitimisque
Asie regionibus præstantissimos quosque tum animi, tum cor-
poris dotibus homines, maximis propositis præmiis conuocasse,
qui de arte quam profiterentur, in certamen descendentes, &
Mausoli memoriam, & Mausoleum ipsum celebrarent. Fuit
profecto aptissimum id consilium ad mortui nomen immortali-
tati commendandum, simulque operis præsentibus tantum con-
spicui famam in omnes ætates ac nationes longe lateque diffun-
dendam. Decertasse uero traduntur in ea solemnium ludorum ce-
lebritate, cum Athletæ, tum Musici ac Poetæ, tum Sophistæ
quidam Oratoresque clarissimi. Ac tantus quidem fuit undique

A 2 ad eos

ad eos concursus: ut *Iso*cratem annis iam grauem, corpore infirmum ad ostentandam dicendi copiam & facultatem *Halicarnassum* uenisse, *Plutarchus* ille accuratissimus antiquitatis obseruator scriptum reliquerit. Quod si mulieris iussu & cura, ossibus ac cineri uanoque nomini conditum monumentum uetustas illa tanto est honore ac ueneratione prosecuta, multo certe iustius, bonestissimus hic *Bononiensis* literatorum hominum conuentus Augustissimam hanc *Basilicam*, felicitissimis eius qui *Omnipotentis Dei* munere in terris fungitur, auspiciis, tanto sumptu tantaque magnificentia exaedificatam, hoc humanarum diuinarumque legum scientiarumque omnium seminarium, quouis laudum genere sibi decorandum proposuerit. Ac non defuturos quidem arbitror, in magna eloquentissimorum hominum nunc *Bononiae* uitam degentium copia, qui doctissimis ingenii sui monumentis, hoc tam praecclarum tam admirabile opus ad omnem aeternitatem sint consecraturi: Ego uero Auditores me à paulo tolerabilioris, ne dum boni Oratoris laude quam longissime abesse intelligo: ut pote qui non in eloquentiae mihi laude comparanda, sed in *Græcis* autoribus interpretandis, ita exigente rerum mearum statu & conditione, meam adhuc aetatem consumpserim. Nunc equidem in communi omnium letitia, ob pulcherrimi huius loci aspectum, non mediocri afficior gaudio: simul uero id cogor quibuscumque possim uerbis declarare. Quod autem consueui solennibus hisce studiorum initiis, quotannis prologi more, ad comparandos auditorum ad cotidianas commentationes animos nonnulla praefari, ex hoc loco in praesentia huius instituti mei retinendi

tinendi causa, ita uerba faciam, ut licet nouo et inusitato, a studiis tamen uestrorum, temporum locique ratione minime alieno argumenti genere utar. Itaque uobiscum priusquam ad id quod cotidiano huic docendi muneri adiunctius est, accedam, de summo *Reip.* principum erga nobilissimum istum ordinem beneuolentia & animorum propensione, quam hoc amplissimo *Senatu* adiuuante pluribus quidem haecenus documentis, hac autem potissimum recenti scholarum exaedificatione testatam relinquere uoluerunt, more meo sermocinabor. Hinc uobis apertissime patet, quanta cum alacritate atque optima in posterum, quibus uestra ista liberalissima studia prouehi facilioraque reddi possint, commodorum omnium spe doctrinarum cursum repetere, ac multo etiam arctius quam antea complecti, firmiusque retinere debeatis. Quod dum nihilo quam pro tanti confessus dignitate, et statuto nobis hodie ad agendum temporis spacio par sit, longiori oratione persequor, me obsecro praestantissimos Auditores, ut superioribus annis consueuistis, attente ac benigne auscultate. Est hoc in more positum Auditores, & ex ipsa rerum omnium parente ac magistra natura et optima quadam ratione ductum, ut quanto praeciores fuerint hominum aditiones, tanto illustriora in quibus eas suscipi possint, loca eligantur, augustioraque reddantur. Hinc *Dei* Diuorumque cultus ac religionis causa, tantum semper in quauis orbis terrarum parte, in erigendis & condecorandis templis diligentie studique homines adhibuerunt. Hinc porticus et fora tum ad mundinarum, tum ad concionum usum: Hinc senacula et curiae in quibus de summa rerum consuleretur, ut quam amplissima quamque

quamque splendidissima essent, sapientissimi rerum publicarum moderatores contendendum sibi & elaborandum existimarunt. Eadem ratione ubi Athletæ Reipublicæque in bellis usui futuri iuvenes, uel corporis uirium ac roboris, agilitatisue ac celeritatis, uel equitandi aut aurigandi peritiæ in multitudinis conuentu & frequentia specimen darent, Stadia, Hippodromi, Circi, Amphiteatra, magna materiæ mole, immensa cura & sumptu, admirabilique in primis Architectorum artificio erecta. Tum uero ubi ad recreandos populorum animos chori & Choreæ ducerentur, ubi ad mores instituendos Tragædiæ Comædiæque humanæ uitæ magistræ agerentur, Theatra & exædificata & necessario apparatu ornamentisque omnibus instructa fuisse legimus. Sed nimis longum esset, singula quæque persequi publicorum operum ædificiorumque genera, quæ urbibus amplitudinem ac celebritatem, conditoribus decus & gloriam, populis commoditatem honestissimamque simul uoluptatem afferre consueuerunt. Illa certe siue ipsarum urbium splendorem, siue modum ac rationem autorum nomen ad omnem æternitatem propagandi, siue publicum bonum utilitatemque spectes, omni laudum præconio, quouis tempore, ubi uis gentium extollenda homines existimarunt, quæ ad iuuenum animos doctrinis instituendos, optima quæque ingenia excolenda, condita erectaque fuere. Multa sane habuit florentissima olim inter Græcos Atheniensem Ciuitas, quæ spectarentur dignissima, quæque scriptores literarum monumentis, omni posteritati quamuis tot iam antea sæculis euersa & diruta, tantum non subiecta oculis

prorsus

prorsus abolitis eorum uestigiis representarunt. ueluti arx & urbis patronæ Palladis in arce Templum: Eleusiniæ Cereris uestibulum operis curatore Pericle tanta pecuniæ profusione, ut is in reddenda ratione summopere laboraret, extructum: Amplissimus ille Piræei portus incredibilis nauium numeri capax, isdemque peropportunus: Ab urbe ad portum utrinque perducta Themistoclis astu & consilio munitissima murorum brachia, eademque aliquot post annis fœlicissime a Conone instaurata: Publica magistratuum domus nomine Prytaneum: Alia id genus sexcenta. Non tamen ea tam illustri tamque perenni fama urbis illius nomen immortale reddere potuerunt, quam Pæcile porticus, quam Academia, Cynosargis, Lycæi gymnasia Philosophorum disputationibus tantopere nobilitata. In Macedoniae urbibus par est præclarissima & regia plane opera quam plurima fuisse, nullius tamen iam uiget memoria, præter ea quæ Phæbo Musisque dicata, scriptoribus ut ea celebrarent, occasionem dedere. Quæ certo numina Magnus ille Alexander tanta religione coluisse fertur, ut in Asiam qua omni ad Eoum & Indicum usque Oceanum summa fœlicitate potitus est, transecturus, Musis ipsis Apollini que rem diuinam fecerit, solennesque ludos celebrarit. Ptolomæus quidem Aegypti rex cognomento Philadelphus, nescio an ullo unquam rerum domi forisue gestarum genere, tantopere fame gloriæque suæ consuluerit, quam nobilissima illa Alexandria condita Bibliotheca, & lectissimis incredibili studio ex omnibus orbis terrarum partibus conquisitis libris refertissima. Publicorum uero ædificiorum operumque magnifi-

magnificentia & celebritate quæ unquam urbs potuit Romæ comparari? nulla tamen florente Repub. in ea extitit uictoris cuiuspiam Ducis dedicatio, quæ plus Autori suo decoris attulerit, quam Templum ex pecunia Censoria in Circo maximo Herculi Musarum præfidi ac tutori, Musisque simul à Marco Fulvio Nobiliore dedicatum: Quod præclarissimis ille Imperator translatis etiam ex Ambraciensi oppido earum signis, nescio an admirabilis ætate illa Ennii Poetæ suasu, an proprio illarum cultu augere atque honestare uoluit. Ciceronem uero nemini mirum uideatur, cum eloquentiæ doctrinæque fortunas omnes suas honorumque gradus acceptos referret, tantopere contendisse, ut uillule suæ tum summa lectissimorum quorumque librorum copia, tum Gymnasis quæ Architectura, nomine, statuarum signorumque ornamentis Attica illa referrent, maxime insignes essent. Quid uero ad unius iam potestatem reductis rebus, quam facilis & expeditus Augusto Palatina Bibliotheca, Tyburtino uero Gymnasio exædificato, Hadriano ad uberrimam gloriæ segetem aditus patuit? Multæ quidem fuerunt Alexandri Seueri laudabiles actiones: Id tamen potissimum in eius uita celebratur: quod & literatos plurim fecerit, & cum instructissima Bibliotheca Lararium illud suum habuerit, Optimorum Doctissimorumque hominum imaginibus exornatum. Theodosio certe rerum præclarissime gestarum gloria perillustri, ad nominis æternitatem plurimum contulit, Bononiense hoc Gymnasium ab eo institutum, honorificentissimisque decretis honestatum. Byzantinorum quorundam Cæsarum nomen, nihil æque potuit à tenebris

bris in quibus alioqui perpetuo delituisent, obliuioneque uendicare, quam infinito librorum numero, aptissimis ad id locis exædificatis, auctæ ditatæque bibliothecæ. Nihil hoc loco dicam de ingenti gloria quam Galliarum Hispaniarumque nonnulli Reges, Germaniæ Italiæque Principes, præcipue uero in Italia summi Pontifices, in Germania Cæsares aliquot ex eo sibi compararunt, quod ut liberalium disciplinarum tum doctoribus, tum studiosis adolescentibus omnia commodorum genera perpetuo suppeditarent, prouiderunt. Non patiuntur me quibus in præsentia excludor, temporis angustæ commemorare, quantam semper inclita, maris terræque imperio præpollens, eademque optimis legibus instituta Venetorum Respub. Tum uero Florentinorum nobilissima opulentissimaque ciuitas, elegantissima itidem ornatissimaque Senensium, quarum utrique nunc tanta cum laude ac Hetruriæ populorum omnium plausu et approbatione, Potentissimus Princeps Cosmus Medicus præest, quantam ut ditoniam suæ populi hac etiam in parte quæ ad literarum studia pertinet, quam felicissimi essent, quouis tempore sibi curam suscipiendam, quam sedulo & emixe in eam cogitationem incumbendum censuerunt. Eandem hanc rem literariam undique iuuandi, non minus quam iusti moderatique Imperii laudem, summopere se appetere ac eius audissimos esse profitentur, maiorum suorum uirtute superata, semetipsos iam uincere contendentes, Emanuel Philibertus, & Alphonsus, Allobrogum ille, Ferrariensium hic Princeps, summus uterque Dux, uterque rerum strenue feliciterque gestarum gloria florens, uterque Imperatoria uirtute potentiaque hosti per-

timefcendus, lenitate ac mansuetudine sociis acceptiffimus, maxi-
meque amabilis. Sed iam ad noſtrorum Principum, tot iam no-
bis documentis cognitam & perſpectam erga nos propenſiſſi-
mam uoluntatem, quo noſtra iam pride feſtinat oratio, tranſea-
mus. Cum primum PIVS. IIII. Pont. Max. idemque opti-
mus & ſapientiſſimus ad celſiſſimam illam honoris maietatisq:
ſedem euectus eſt, & ſummam Reip. ocii ac tranquillitatis in po-
ſterum ſpem fecit, Et id in primis antiquiſſimum ſibi fore polli-
citus eſt, ut in omnibus imperii ſui Gymnaſus liberalium artium
ſtudia quam maxime florerent. O incomparabilem ac plane di-
uinam ſapientiam: O uere optimo ſanctiſſimoque Principe di-
gnas cogitationes. Qua quidem in re cum ſcholarum inſtauratio-
nem non mediocriſſe momenti duceret, Romæ quidem præter
alia præclariffima opera, quæ fauſtiſſimi Pontificatus ſui initio,
cum muniendæ, tum exornandæ, tum amplificandæ urbis gratia
inchoauit, aulas etiam in quas cotidie ſcientiarum doctores, tum
eas diſcendi cupidi adoleſcentes conueniunt, numero nec non am-
plitudine adaugeri iuſſit. Exiſtimauit enim pro ſumma pruden-
tia ſua, rerumq: omnium admirabili cognitione, tum artium quæ
in huiusmodi locis tractantur, unde maxima ſuppentur ciuitati-
bus pacis ornamenta, & nonnunquam etiam belli præſidia, quo
ſplendidiora forent earum ueluti domicilia, nomē uulgo ipſi maio-
ri admirationi uenerabiliusque fore. Tum uero ad earum ſtudia
capieſſenda Iuuenum animos uehementius in dies excitatum iri, ſi
perpetua meditatione defatigati, locorum in quibus illi magnam
diei partem traducturi eſſent, pulchritudine allicerentur, ac eo-
rum

rum ob ornatum & elegantiam, aſpectu reſici quodammodo re-
crearique poſſent. Cumque ſummi Pontifices hanc florentiſſi-
mam urbem, eadem ſemper qua Romam ipſam animorum pro-
penſione ac pari beneuolentia proſecuti fuerint, in hac etiam idem
quod Romæ, prouidentia ſua paternique affectus monimentum
perpetuo extare uoluit. Miſſo igitur prius ad inſpectionem loci
propinquo ſuo, non militari tantum diſciplina imperatoris que
artibus inſtructiſſimo uiro, ſed omnibus etiam in rebus acerrimi
iudicii, huius aut præcipue architectandi artis peritiſſimo, decre-
uit ut ſcholæ omnino tanto quam antea magnificentiores illuſtro-
resque inſtaurarentur. Tum uero CAROLVM BORRHOMEVM
ſororis ſua filium, Bononiæ legatum, Heroicæ plane uirtutis iuue-
nem, à quo in Imperii totius adminiſtratione, feliciffime ac ingen-
ti omnium cum plauſu, non ſecus atq: Atlantis onus Herculem
ſubiſſe Poetæ narrant, magna cotidie curarum mole releuatur,
ut curam hanc ſuſciperet, ſedulo hortatus eſt. Quantum uero eſt
illud quod hoc nomine tibi debeamus PETRE DONATE CÆ-
SI Urbis præſecte, quem ob admirabilem iuſtitiam ac uigilan-
tiam, ſummam grauitatem cum excimia humanitate cõiunctam,
omneq: uirtutum genus, ciuitas hæc præſentem ſuſpicit & uene-
ratur? Qua diligentia & animi alacritate, qua tui erga nobiliſ-
ſimum hunc literatorum hominũ ordinem amoris teſtificatione, de-
latum tibi à LEGATO, quem ſummæ amplitudinis cauſa nomi-
no per ipſius literas tam præclari tamq: glorioſi operis munus ſu-
ſcepisti? Qua ſolertia & aſſiduitate, ut id tantæ amplitudinis,
tamque multiplici conſtans artificio, reſtituto præterea quod ei

adiunctum est, religiosissimo per tot iam secula, sanctissimoque Deiparæ Virginis Templo, quâ celerrime ac paulo maiore quam decem & octo mensium spacio absolueretur, contendisti? effectisti? Neq; tamen hac una tantum ratione, ut nobilissimus hic literate iuuentutis conuentus pristina frequentia celebraretur, elaborasti. Sed etiam ab hoc ornatissimo senatu eminentis doctrine ac celeberrimi nominis Doctores, è ceterioris ulteriorisque Gallie Gymnasus, perhonorificis & fructuosissimis propositis conditionibus accersendos, è ciuium numero stipendium iis augendum curasti, qui hæcenus labore, industria, doctrinaq; sua Ciuitati magno usui decoriq; fuissent: Quo & hi erectiore animo, suo in posterum officio fungerentur, & alii horum exemplo, ipsis melioris de hinc fortunæ proposita spe, ad quam optime de studiosa iuuentute merendum excitarentur. Dimanauit iam per Italiam, ac forsitan etiam per uniuersam Europam admirabilem uirtutum tuarum fama. Quamplurimorum uocibus ac sermonibus celebratur, summa ista in iure dicendo, cum tam excellenti omnis humani diuiniq; iuris peritia coniuncta integritas et iustitia. In improborum audacia & libidine coercenda seueritas: In concilianda & retinenda in iis quibus præfuiti urbibus concordia, uigilantia & prudentia. In sacris profanisq; locis exædificandis ornandisq; animi magnitudo & præstantia. In solennibus quandoq; ludis et spectaculis ededis, quo populi honestis uoluptatum generibus recrearentur, suiq; præsidis erga se paterna lenitate indulgentiaq; adducti, tanto libentius in officio permanerent, liberalitas ac munificencia. In illustribus cum fortuna & honoribus, tum uirtute ac

dignitate

123
dignitate personis hac iter facientibus hospitio excipiendis, laetitia & splendor: In plebe maxima frumenti aliorumq; commætuuum caritate ac penuria subleuanda, cura & diligentia. In hac urbe in qua etiam nuper saluberrimæ ac limpidissimæ aquæ fontem cum ad egenorum usum, tum ad urbis ipsius ornamentum in forum perducendum locasti, Mendicorum colluue repurganda, curaq; suscipienda, ut misellis omniq; fortunæ ope destitutis, unum in locum extra pomerium ad habitandum traductis, tum ex ærario, tum certam stipem conferentibus locupletioribus, abunde alimenta suppeterent, pietas et maxime laudabilis misericordia: Contentio deniq; ac prouidentia quam semper adhibuisti, ut fidei & gubernationi tuæ commissæ ciuitates essent quambeatissimæ, omniq; felicitatis genere quam maxime florerent. Hæc de te passim cum prædicentur, cæterarum rerum publicarum moderatoribus pulcherrimum et perfectissimum quod imitari debeant; sapientissimæ administrationis exemplar propositum est. Ingenia quidem sunt ista præclarissimarum uirtutum merita, quæ ab insita nature tuæ bonitate, honestatisq; ipsius amore, non uero ab inani quadam affectatæ laudis cupiditate, ambitione uel ulla orta esse intelligimus, ac plane certum et compertum habemus. Atta men ita natura comparatum est, ut rectissimas quasque actiones laus & gloria perinde ac umbra corpus comitetur, quam ut plurimum uel nulla queat temporis diuturnitas abolere. Itaq; mihi crede omnium quidem tuorum in Remp. meritorum, sed eorum præcipue quæ in literatos homines contulisti beneficiorum, perpetuo memoria uigebit, neq; ulla unquam de iis ætas conticescet. In hæc

primum

primum ciuitate liberalium artium interpretes & magistri, quod eorum labor & industria perillustrem quandam & ueluti maie-
 statis planissimum campum in quo sese exerceat, consilio prouidentiaq: tua nacta sit, te nomenq: tuum perpetua colent obseruan-
 tia. Tum uero & hic & apud tot exteras gentes ac nationes, pa-
 rentes quod liberos moribus doctrinaq: ornatos & excultos intue-
 ri possint, id secundum Omnipotentis Dei clementiam & opem,
 se tibi debere profitebuntur. Ciuitates ipsæ populiq: quod Ciues
 omni liberali eruditione instructos habituri sint, quos magno ali-
 quando sibi usui fore sperare debeant, tuum erga se immensum
 & singulare beneficiū agnoscent. Qui uero ex hac doctrinae opti-
 morumq: morum ueluti officina, tanto meliores ac sapientiores in
 patrias suas redierint, opum atq: honorum ad quos duce uirtute,
 Fortuna comite peruenerint, te sibi Auspicem, te Autorem fuisse
 prædicabunt, eosq: magna etiā ex parte acceptos tibi referent.
 Vos autem (ad uos enim iam redeo) nobilissimi ac mihi rerum om-
 nium carissimi Iuuenes, quorum multo maxima pars, patria, pa-
 rentibus & propinquis, domesticisq: commodis relictis, præterea
 ualde sumptuosa peregrinatione suscepta, ad hoc florentissimum
 Gymnasium animi ob cultum capiendum conuenistis, date operā
 et contendite, ne adolescentia per luxum & ignauiam traducta,
 summorum Principum, et huius amplissimi Senatus beneficētia,
 uobis in hac pulcherrima opulentissimaq: urbe paratis commodis
 indigni fuisse iudicemini. Efficite ut eorum erga uos merita per-
 illustri gratia excepisse uideamini. Id uero fiet, si alacriter ac stre-
 nue totoq: ut aiunt pectore, in ea studia quorū iam cursum ingres-
 si estis,

si estis incubueritis. Quemadmodum enim è conuiuiarum nume-
 ro ii maxime beneuolo fauentiq: animo conuiuium approbare ui-
 dentur, qui appositis epulis affatim & hilariter uestuntur, Sic uos
 Auditores, & eorum quæ uobis exposita sunt, bonorum autori-
 bus grati animi significationē dabit, & hæc fuerit maxime ac-
 commodata ratio, ad eorum uobis in posterum beneuolētiā stu-
 diumq: conciliandum: Si ad Augustissima hæc Musarum do-
 micilia frequentes cotidie alacresq: conueneritis: Si ea qua decet,
 ac summopere uobismet expedit, animorum æquitate atque at-
 tentione, Doctorum quos in omni scientiarum genere præstantis-
 simos & celeberrimos nacti estis, disputationes dogmataq: auscul-
 taueritis, ea deinde assidua meditatione quo plurimum proficere
 possitis, recolueritis: Si diurno studio nocturnisq: uigiliis ad earū
 in quibus uersamini facultatū, quam exactissimā perfectissimāq:
 cognitionē uobis aditum patefeceritis. Ego uero Auditores, quod
 ad cotidianum hoc munus meum attinet, perpetuo ad studia ue-
 stra iuuanda curas omnes cogitationesq: meas conuertam. Quod
 me hæc tenus etiā fecisse mihi optime sum conscius: Vestram discen-
 di cupiditatē pro uirih mea quouis officii genere prosequar. Nun-
 quam uobis neq: publice, nec priuatim uox operaq: mea deerit.
 Quod si uel minus eam uobis expetendam duxeritis, uel ea frigi-
 dius utemini, His certe lucubrationum generibus, quæ cotidie secre-
 toribus studiis meditor, ad finem perducendis, effecturum me spe-
 ro, ut presentibus uidear & posteris, non prorsus inutile (ut inge-
 niosissimi Poeta dictum usurpem) terræ pondus uixisse.

D I X I.

Ego F. Vinc. Vicarius R. Inquisitoris approbo.

Faint, mostly illegible text in a Gothic script, likely bleed-through from the reverse side of the page.

BIBLIOTECA
COMUNITATIVA
DE BOLOGNA

Faint text at the bottom of the page, possibly a title or reference.

033033